

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Passio al cum fonte primo

Scio quod merita mea michi non sufficiunt  
quod michi deest audacter usurpo ex uisceribus Christi que misericordia affluunt nec desunt foramina per que defluant.

Patet enim archanum cordis per foramina corporis;

patent uiscera misericordie Dei nostri in quibus uisitauit nos oriens ex alto.

Bernardus in quodam sermone.

Ego vero fidenter  
quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex uisceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quae effluant.

Foderunt manus eius et pedes, latusque lancea foraverunt, et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, id est gustare et videre quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI, AUT QUIS CONSILIARIUS EIUS FUIT? At clavis reserans clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. FERRUM PERTRANSIIT ANIMAM EIUS, ET APPROPINQUAVIT COR ILLIUS, ut non iam non sciat compati infirmitatibus meis.

Patet arcanum cordis per foramina corporis,  
patet magnum illud pietatis sacramentum,  
patent VISCERA MISERICORDIAE DEI NOSTRI, IN QUIBUS VISITAVIT NOS ORIENS EX ALTO (Luc. 1:78).

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 61, 4 (SBO 2, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.150-1, ll.19-29, 1-2).